


**Rectore Academiae Magnificentissimo, Serenissimo Principe Regio Ac Domino, Dn. Friderico Avgvsto, Electoratvs Saxon. Herede, &c. &c. &c. De Locustis Biblicis, & sigillatim De Arb Solm argol & gb Sive De Avibus Qvadrpedibvs ...**


**Dissertatio Prima : : Ex Levit. XI, com. 20. 21. & 22. ...**

Vitembergae: Ex Officina Christiani Schroedteri, [1710?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870070479>

Band (Druck) Freier  Zugang







a.

30

*Fa = 1092 (30.)*





Jesu Christo Favente!  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,  
DN. FRIDERICO AVGVSTO,  
ELECTORATVS SAXON. HEREDE,  
&c. &c. &c.

DE  
LOCUSTIS BIBLICIS,  
& sigillatim

DE  
אֲרֵבֵה סְלֻעִים חֲרָגִל  
& חֲגָב

SIVE  
DE AVIBVS QVADRVPEDIBVS,

*Ex Levit. XI, com. 20. 21. & 22.*

DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM PRIMAM,  
Benevolo placidoqve Eruditorum Examini  
submittent

PRAESES

M. IO. CASPAR FABER,  
HOHENBVCA - LVSATVS,

ET RESPONDENS

SAMVEL AXT, Fraustadio - Polonus,

Philosoph. & SS. Theol. Cultor,

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO,

D. XXXI. DECEMBR. A. MDCCX. Horis antemeridianis.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.





i et erga Deum grati hominis esse, opera summi Numinis cum devota mentis veneratione assidue per- scrutari, ingenue is mecum fatebitur, qui sanctissimi conditoris sapientiam, quam in rebus a se conditis demonstra- tam dedit, paulo accuratius rimari in animum induxerit. Hanc enim rerum a Deo Ter Opt. Max. creatarum con-

siderationem cuilibet ad creatoris laudem et gloriam propalan- dam stimulum addere et torpidos ac langventes, ad suscipiendas honestissimi officii partes excitare posse, non nisi is inficiabitur, qui admirandorum a divina manu productorum operum peniti- ori investigatione plane non opus esse, existimat.

§. 2. Eadem nobis in praesenti Dissertatione Philologica meta destinata et fixa erit, ut in contemplatione rerum etiam vilissi- marum a Deo conditarum secundum ductum Codicis S. insti- tuenda ad conditoris tum sapientiam, tum laudem grato ore de- praedicandam digitos semper ac animum intendamus. Grave fateor et impar debilioribus humeris onus est, cui ferendo tot fortissimi Atlantes vix suffecerunt, imo Gordius quidam nodus, quem nec ipsum Alexandrum repetito quamvis ictu dissolvere posse, rerum harum periti dudum judicarunt. Quo magis im- becillitatis nostrarum virium memores, divinam precibus nostris ardentissimis Clearentiam fatigamus, ut in hoc arduo et diffi- cili admodum opere auxilio nobis ac adjumento praesentissimo esse gratiosissime dignetur.

§. 3. Avium quadrupedum inter concessos Israelitis cibos men- tionem fieri ex Levit. XI. §. 20. 21. et 22. ad oculum patet. Lo- cum hunc doctioribus nostrarum partium Philologis crucem fi- xisse, variis nec semper commodis explicationibus et notis cri- ticcis in diversos sensus distractum, nemo certe ambigit eorum, qui paulo majores in rerum harum sacratorum cognitione fe- cit progressus. Ne vero, quod in proverbio dicitur, sine corti- ce natare videamur, subsidia varia huc facientia nobis in consili-



um fuerunt adhibenda, quæ si non ubique benevolo lectori satisfaciant, rerum id difficultati et meæ, quam ingenue fateor, imbecillitati lubentissime adscribi patiar.

Orac. extat Levit. XI. com. 20. 21. & 22.

כל שרץ העוף החלך על־ארכע שקץ הוא. לכם : אך  
את־זה תכלו מכל שרץ העוף החלך על ארכע אשר־לא  
כרעים ממעל לרגליו לנתר כחן על־הארץ : את אלה  
מחם תכלו את־הארכה למינו ואת־הסלעם למינהו  
ואת־החרגל למינהו ואת־החגב למינהו :

§.4. SS. Literarum monumenta evolventibus, decem in iis Locustarum nomina reperiri, patet. Nam ut Hebræorum terra locustis abundat, ita lingua Locustarum nominibus quamplurimis gaudet. Missis vero tantisper iis, quarum uberior explicatio in subsequentiis instituenda erit, operæ pretium esse duximus, de reliquis pariter pauca in medium adferre, propterea, quod & inde aliquid lucis nostræ dissertationi affundi posse videatur. Lubet igitur primo loco adducere גובי vel גובי, Amos 7. 1. & Nah. 3. 17. quod SAM. BOCHARTUS ab Arabica quadam radice derivationem trahere asserit. Dicit enim sese edoctum ab Arabibus didicisse, nomen hujus locustæ a radice Arabica لآ gaba deducendam esse, quæ e terra emergere significet, quod omnino locustis conveniat. Hinc locum ex Arist. L. 5. Hist. c. 28. profert rem suam ulterius declarantem: ὅταν τέκωσι (αἱ ἐκρίδες) ἐνταύθα γίνονται σκώληκες ἀραιαῖς, οἱ περιλαυβάνονται ὑπὸ τινος γῆς λεπτῆς, ὡσπερ ὑφ' ὑμένος. ἐνταύτη δὲ ἐκπέτονται. quæ verba in latium translata ita fluunt: *Cum locustæ pepererunt, ibi fiunt vermes ovorum specie, qui terra quadam prætenui, tanquam membranula ambiuntur, unde evolvant.* Idem porro ex Plinii L. 11. c. 29. & Ætiopica lingua latinus demonstrare fatagit, vid. Hieroz. Part. II. L. 4. Cap. I. p. 443. DELRIO גבאי Amos 7. 1. putat esse nomen Syriacum, quod LXX. ἀκρίδες reddunt, generali nomine usi, quorum vestigia Chaldaus idem hic vocabulum retinens passim legit. Eodem teste deducunt quidam hanc vocem ab altitudine, alii derivant à נכב, quod notat congregavit, quod in magno numero veniat, & ut Prov.

Prov. I. dicitur, veluti turmasim procedat. Eadem vox Nah. 3. 17. ut monui, reperitur: parvuli tui כְּנֹבִי נֹבִי i. e. locusta locustarum, quæ geminatio verbi notante R. Salomone plurima & maxima locustarum exanima, imo exercitum fere locustarum insinuat. Eximix vero magnitudinis locustas hic intelligi, Abenezra, Jonathan & Kimchi putant, per ἐπίτασιν de locustis insignis magnitudinis hic sermonem esse unanimi consensu asserentes. Ne quid dissimulem, & hoc notari velim, Chaldaum de vermibus locustarum זְרֵאֵי נֹבִי ipsi attelabis alibi differere; deinde nec illud prætereundum, Es. 33. 4. גְּבוֹים haberi, quod LXX. ἀγκίδες vertunt. Chaldaus vero arma bellica reddit, alii fossas interpretantur, quod majorem cum voce Hebræa affinitatem habeat. Ceterum Kimchi notat, etiam dorsum incurvum costis hoc nomine venire; & forsitan inde Italicorum golbo & nostrum gibbo deductum esse suspicari liceret. Conf. MART. DELRIO Adag. SS. V. T. p. 141. & JO. GVIL. STUCKII, Antiq. Convival. L. II. p. 167. qui de נֹבִי Amos 7, 1. notat, per examen locustarum foenum cordum seu autumnale depascentium, terrae sanctae futuram depopulationem ac devastationem à numerosissimo Assyriorum, Babyloniorum & Romanorum exercitu designari. Ipsam vero vocem 70. Interpr. hic ἐπιγονὴν ἀγκίδων reddiderunt, in hoc cum Bochart. convenientes. Hæc singula si inter se conferas, videbis BOCHARTVM loqui de modo nascendi locustarum, DELRIONEM & STVCKIVM de earum multitudine, Rabbinos vero de illarum magnitudine sermonem instituere, quæ omnia facilem inter se admittunt conciliationem.

§. 5. Novum Locustæ nomen נֹבִי Joel. 1. 4. & c. 2. 25. nec non Amos 4, 9. occurrit. Hebræorum magistri originationem hujus vocabuli petunt à rad. נָזַז vel נָזַז, quod tondere & abscindere significat. Dicunt præterea □ finale servile esse, & ad instar תָּנַם gratis & aliorum adverbiorū □ servile admittentium, huic voci additum, quæ tamen ratio interpretandi BOCHARTO minime se probat, cum hic non sufficiat adverbium ad demonstrandam sententiam attulisse, sed potius nomina simili ratione flexa pro asserenda hujus opinionis veritate adduci debeant. Meliorem igitur forte laudatus ante Bochartus ingreditur viam, quando hujus locustæ nomen

a radice  $\text{בַּיָּד}$ , quæ apud Talmudicos abscindendi & amputandi notionem nonnunquam sustinet, derivat. Apud Ætiopes pro  $\text{ἐκκοπτεῖν}$  Matth. 3, §. 10. & c. 7. 19. Luc. 3, 9. & c. 13. 7. 9. usurpatum legitur, quæ loca omnia de arborum amputatione loquuntur. Videntur igitur locustæ hujus generis inde dictæ, quod præacutis dentibus munitæ non tantum gramina, segetes atque arborum folia depascunt, sed etiam cortices atque arborum tenuiores ramusculos ita penitus corrumpunt & erodunt, ac si ense vel ferro eos amputatos censeas. Et sane neque Plinius neque inter Patres Hieronymus hanc sententiam sine calculo dimittunt, cujus posterioris verba in cap. 1. Joel. ita se habent: *Judei putant in diebus Joel tam innumerabilem locustarum super Judæam venisse multitudinem, ut cuncta complerent, & non dicam fruges, sed ne vinearum quidem, & arborum cortices ramosque dimitterent.* Gemina habentur Amos 7. 9. Hortos vestros & vineas vestras & ficeta vestra & oliveta vestra  $\text{תֹּכְלוּ הַגִּזְמוֹת}$  comedet Gazam seu locusta. Ex quibus proinde locis verba de locustarum agminibus a Pisida adducta suam quoque fœnerantur lucem, qui illis  $\muυρῖο\sigma\omicron\mu\omicron\nu\omicron\ \xi\lambda\delta\omicron\varsigma$ , enses decies mille acierum adscribit. Neque quenquam facile ab hac interpretandi ratione dimovere facile poterit, Fullerus, qui Miscell. L. 5. c. 10. Græcos & Hieronymum secutus  $\text{בַּיָּד}$  per  $\text{καύπην}$ , erucam exponit, propterea, quod Hebræi, Chaldæi & Syri nostras tueantur partes & præterea locustarum morsus fortior sit, quam erucarum; ne quid de eo addam, quod juxta Columellam

- - - - - serpitque eruca per hortos,  
quos super ingrediens exurit semina morfu.

tum ab erodendo *Eruca*, tum etiam ab urendo *uruca* appelletur, quod BOCHARTUS ulterius ex Glossis Latino-Græcis a Stephano editis probat l. c. p. 444. Labet adhuc brevibus de Chaldaica significatione dispicere. Videlicet chaldaice  $\text{חַרְלֵי}$  vertitur, quod nomen reptilibus commune est a  $\text{חַרַל}$ , quod repere sive serpere significat. Inde Mich. 7. §. 17.  $\text{חַרְלֵי אֶרֶץ}$  i. e. reptilia terræ dicuntur. Rabbinis passim ad significandam Gazam adhiberi certum est atque exploratum. De Kimchi sententia non est, ut aliquid addam, qui Joel. 1. Gazam dicit esse vermem olera & in-

& imprimis brassicas abrodentem; & ita appellari, quod per humum rependo omnia absumat & perdat, quæ cum sententia priorum concurrunt. Mercerum vero paulo hic confidentius à reliquorum sententia abiisse, dum **דב** per **βροχον** vertit, inde luculenter dispalescit, quod Joel. 1. 4. perspicue distinguantur, bruchi esus licitus sit atque concessus, Levit. II. 22. & tandem Gazam ex immundis sit, quia reptile est & non saltatile; Conf. Ulyssis ALDROVANDI de Animalibus Insectis L. 4. Cap. I. de Locustis p. 105. DELRIONEM Adag. SS. V. T. p. 343. & inpr STVCKIVM l. c. p. 167: seq. qui præterea multa egregia ex Quinquarboreo in Amos 4. cap. nec non ex Plinio L. 17. c. 24. L. 11. c. 32. & L. 18. c. 28. locustarum, quam infligunt, noxam describentia adducit in medium. Nos de cetero facile hic BOCHARTI sententiæ accedentes quemlibet suo abundare ingenio patimur.

§. 6. Lustranti Psalmos Davidis aliud Locustæ nomen occurret. Etenim Ps. 78, 47. reperitur **לנמל** quam vocem R. Salomo & R. Chasan citante Aben-Ezra pro locusta accipiunt. Sed ut in sententiam horum Rabbiorum abeamus, vetat Aben-Ezra explicatio, qui expensa *συναφεία* textus lapides grandinis hic intelligi opinatur; Quanquam & hic BOCHARTUM deserere non lubeat, qui cum Saadia & Kimchio pruinae potius significationem admittere hanc vocem iudicat. Et habet certe Græcos veteres, quos in hoc passu sequatur, duces, qui ita reddunt: *καὶ τὰς συναμίνας αὐτῶν ἐν τῇ πάχυνι*; quæ vulgatus sequentem in modum transfert; Et moros eorum in pruina. Eidem opinioni Arabicum Psalterium vetus manuscriptum & Ætiopicum favere testatur doctus ille Anglus. Accedit quod in Midras **לנמל** per metathesin pro **למלנ** poni dicatur, propterea, quod **למלנ** quiescit & incidit, quod utique pruinae valde congruit; Id quod ex Theophrasti L. 5. de Causis c. 19. nivem cum pruina conferentis apparet, qui paulo infra ita de utriusque indole disputat: *Τμητινότερα δυνεί η̄ πάχυνι τῆς χιόνος εἶναι*, vim incidendi pruina quam nix majorem habere videtur. Cui succinit Plinius L. 17. c. 24. *Pruina perniciosior natura est, quoniam lapsu persidet.* Ex quibus sane sole meridiano clarius patet, vocem hanc potius pruinae, quam locustæ tribui posse, quanquam, si utriusque nocendi facultas

34

cultates attendere velis, & in hoc aliquam inter utramque acceptionem convenientiam dari, τὰν ἀμφοῖν largiamur. Ut taceam Græcum Scholiasten, qui per ἐρυσίβην sive rubiginem exponit, vid. BOCHART. ib. p. 444. seq. Neque Bocharti sententiæ Syro-Chaldaicum Gvidonis Fabritii Dictionarium multum officit, in quo legitur Bachenomol, & explicatur per locustam, quæ ita dicatur, quod כב veniebat, מן manebat, vel castrorum in modum locum occupabat, & מל se succidebat, vid. si lubet, ULYS. ALDROV. ibid. p. 460.

§.7. חסיל nomen locustæ pariter commune est; si etymicam rationem inquiras, à radice חסל originem habere videbis, quæ consumendi notione gaudet, & locustarum genium proprie explicat. Hinc ita earum perdendi studium Devt. 28. v. 38. depingitur: Samen multum in agrum jacies, & parum colliges: כו וחסלו הארבה, quia consumet illud locusta; quæ significationis ratio etiam in Chaldo Onkelosi & Nah. 3. 16. in Jonathane retinetur; quanquam & hoc constat, חסל significatione paulo mutata etiam absolventi & perficiendi notionem induere, quasi consummare cum consumere pari passu ambulent. v. Boch. loco supra allegato p. 445. Nos tamen priori sententiæ potius calculum addimus, eo, quod voces absumere, perdere & devorare, locustæ hujus ad nocendum quasi natæ naturam accurate, ut monuimus, exhauriat. Vastat enim & perdit omnia, ita, ut nihil reliquum faciat. Chaldaicam paraphrasin Joel. 1. inspicienti objicietur vocabulum שטטא, quod, ut putat Mercerus, eam ob causam ipsi imponitur, seu quod longa sit, & subtilis (hanc enim significationem apud Talmudicos teste Arruch habet,) seu quod terram incultam reddat ita, ut similis evadat terræ anni 7. qui annus dicitur שטטא, h. e. remissionis terræ, Levit. 25. 8. à שטט reliquit, remisit. Nec illud sicco pede prætereundum, eandem vocem שטט rapiendi etiam, evellendi, extrahendi notionem subire in Tharg Esther, nec non exiliendi Devt. 10. quod eum in finem adduco, ut probem, inde etiam locustam hanc videri dictam, quod huc & illuc saltando fructus & grana evellat, imo perdat, unde etiam ab Italis cavallette, à Gallis vero sauterelle salutatur. Ceterum & illud notandum, 1. Reg. 8. Arbe & Chasil conjungi. Quod vero 70. Inter-

Interpretes attinet, ita habendum, reddidisse eos **חוסל** *ēquos* *ἄβν*  
 rubiginem, fortasse, quod vocem Hebraico vocabulo exprimen-  
 do idoneam non invenirent. Neque tamen omnino à re ablu-  
 dit, quod, sicut vermis seu locusta totum absumat, sic rubigo in lege-  
 tibus nihil relinquat, quod usui esse possit; quæ omnia facili in-  
 ter se componi opera possunt; nam inter saliendum locustam  
**חוסל** omnia obvia depascere, ii optime norunt, qui in Æthiopia  
 & alibi his domesticis, sedc erit non bonis avibus vexantur; de  
 quo in sequentibus, *ἄβν* *ἄβν* *ἄβν*, Dissertationibus plura. v. ULYSS.  
 ALDROV. l. supra citato & STUCKIUM Antiq. Convival. L. II.  
 p. 168. seq. nec non DELRIONEM Adag. SS. V. T. p. 345.

§. 8. Commemoratio hic quoq; **חוסל** alius cujusdam locustæ  
 nobis est instituenda, quæ à lingendo **קקל** nomen accepisse dicitur,  
 quod sata & fruges *lingva sua lingat*, judice Aben - Ezra in Joelem.  
 Neque Arabes, fatente Bocharto, huic originationi suffragia sua  
 denegant. Maxime vero animum fluctuantem de veritate hujus  
 rei certiore reddit sacra pagina, utpote ex cujus sententia voces  
 lingere & absumere magnam inter se cognationem habere viden-  
 tur. Talis locus huic rei fidem faciens 1. Reg. 18. 20. occurrit.  
*Tum ignis Domini delapsus consumpsit holoc austum, & ligna, &*  
*lapides, & pulverem ipsum, atque aquam etiam linxit, quæ erat in*  
*aque ductu.* Loco Num. 22. v. 4. extrante & sententiam hanc pa-  
 ri fide confirmante hic allegando supersedeo. v. BOCH. l. c. p. 445.  
 seq. Congruit sane hæc appellatio locustis, propterea quod  
 herbas lambant & devorent. R. David Kimchi in 1. Joel. habet  
 pro *animalculo alato*, crabronis fere speciem imitante, excepto eo,  
 quod minoris quantitatis sit, dicitque arborum folia depopulari,  
 & in maxima multitudine vastare, Joel. I. Chaldaice quandoque  
 redditur **כורר** i. e. incidens, quod morfu gladii acuti incisionem  
 æquet. Hic vero à versione Chaldaica nomen **חוסל** mox **חוסל**,  
 reptilis, seu vermis, mox **חוסל** redditur; quibus certe verbis ni-  
 hil aliud, quam collectionem vel congregationem significari,  
 quod locustæ hujus generis gregatim seu agminatim volent, extra  
 omnem dubitationis aleam positum esse videtur. Syriacam N. T.  
 versionem eandem vocem loco *ἄβν* adhibere Stuckius testatur.

B

Chal-

34

Chaldaica vero paraphrasis Joel. 1. usurpat etiam nomen פרהה ,  
 quæ vox motationis vel cursitationis actum denotat & radicem  
 habet פרה, volitavit, cursitavit, eo quod huc atque illuc subsili-  
 endo & cursitando fruges depascatur. Ex his igitur paraphra-  
 sis Chaldaicis inter se collatis illud conficitur, ק ירק locustæ genus  
 esse, quod præter copiam & multitudinem volatu pariter celeriori  
 gaudet, & latius, quam cætera insecta, extenditur, pluresque agros  
 celerius conficit atque consumit. Hæc etiam causa est, cur de plagis  
 Ægyptiis dicatur: dixit & venit arbe vejelek absque numero, Ex.  
 10. Recte igitur Grammaticis ק ירק locustarum genus numero-  
 sum, nec non turmatim volans definiri, quod aculeo tanquam  
 lingua utatur herbis & frugibus allambendis atque corrumpe-  
 accommodato, sine controversia verum est v. Ulyss. Aldrov. l. c.  
 p. 405. & STUCKIUM l. c. p. 168. Utrum vero ק ירק Interpret-  
 res ק ירק reddendo suo satisfecerint officio, & num Merce-  
 rus eandem vocem per erucam vertendo rem, quod ajunt, acu  
 tetigerit, hoc STUCKIO l. c. & DELRIONI l. c. p. 344. ulteriori  
 discussioni relinquimus, illo cum Mercero pro eruca, hoc pro  
 brucho depugnanti. Sufficiat nobis ex hæcenus disputatis illud  
 elucescere, per ק ירק locustam cursitando per fruges, & lambendo  
 easdem sibi de victu prospicientem hic intelligi.

§ 9. Tandem nomen צלצל ex Deut. 25. 42. huc transferre lubet.  
 In dubium quidem vocari non potest, Græcis ἐγούθρον, vulgato  
 rubiginem audire; at si quis veterum monumenta consulat, On-  
 kelosô & Arabi Erpeniano locustam verti videbit. Et quan-  
 quam neque illorum sententia plane negligenda sit, qui locustas  
 hæc à strepitu alarum sic dici contendunt, radice צלל, quæ tinni-  
 re denotat, nixi; constare tamen ipsis poterat, צלצל etiam obum-  
 brandi notionem habere. Et sane etymi hujus ratio locustarum  
 harum indolem optime ob oculos ponit, propterea quod ob nu-  
 merum & multitudinem Solem fere obumbrant, quod Plinium &  
 alios hujus generis Scriptores perlustranti non potest esse obscu-  
 rum. Nam alarum sonum cymbali aut tintinabuli tinnitum ex-  
 primere, nemini certe observatum fuit atque annotatum. V.  
 BOCHART. ib. p. 446. & ALDROV. ib. p. 406. Ceterum DEL-  
 RIO

RIO à nonnullis septem locustarum species poni, non dubitat affirmare, quatuor mundarum, quarum esus permissus fuerit, ut Arbeh, Solhham, Chargil & Chagab, tres mundarum, Gazam, Ielek & Chasil, quibus forte אגוב, אגוב, חנמל & צלצל addere non fuerit à scopo alienum. v. DELRIO ib. p. 340.

§. 10. Antequam è diverticulo hoc paulo longiori in viam revertamur, propiusque ad rem ipsam nos accingamus, placuit ad huc extantiora quaedam Oraculi nostri verba indagare. Prodeat primo loco vocabulum שרץ in scenam. Commodè illud deducitur à radice שרץ, quæ gignendi & producendi in multitudine significatum gerit. Targum vertit per ררר, quod eructandi, ebulliendi, scatendi & motandi notione venit. Onkelos & Jonathan habent ררר. *Transitive* sumptum proprie motabilia, reptilia aut volatilia quasi rectificare significat. *Active* spectatum notat motare & scaturire. Refertur ad res inanimatas & animatas; ad illas Ex. 8. ubi de fluvio scaturiente ranas usurpatur, & Pf. 105. de terra palustri adhibetur. Ad animatas nimirum homines transfertur Ex. 1. & producti sunt piscium in aquis, aut reptilium more. Ceterum שרץ est nomen collectivum, & complecti dicitur omnia animalia aquatilia vel terrestria, seu amphibia, seu natatilia, vel volatilia, quæ cursitando demisse repunt, neque semper elevatis pedibus terram quatiunt; cum è contrario רמש denotet gressile, quod terram calcet & pulsat sublatis pedibus. Pagninus itidem & Buxtorffius dicunt, comprehendi hac voce terrestria, aquatilia & amphibia, natatilia & volatilia Gen. 1. & Lev. 11. v. plura in ROBERTS. Thes. L. S. p. 1284. & MERC. Lex. Hebr. p. 3120. GUSSETIUS pugnat pro significatione intransitiva, quæ Pf. 105. 30. obtinet, ubi terra eorum motitasse ranis dicitur. Adit: *Terma non produxerat ranas, verum illa ex aquis prodeuntes in terram & domos ascenderunt*, Gen. 8. 1. seq. Recte interim, nisi fallor, iudicat de שרץ, quod quibusdam animalibus inditum, non spectet eorum productionem, sed statum & habitum eorum, dum existunt, quia mobilia & turmatim collecta apparent, ut aqua & terra cum his motitans ac contremiscens videatur, quæ certe de Locustis optime dici possunt. V. ejus Comment. L. Hebr. p. 889.

B 2

§. 11. Pro-

34



§. 11. Progredior ad vocem  $\eta\psi$ , per quam avis, volucris, volatife notatur. De hac voce hoc etiam observari velim, collective interdum accipi, ut omnia volatilia sub se complectatur. Recte igitur Buxtorffius, apes, vespas, bruchos, & ejusmodi volucra seu volatilia per hoc vocabulum indigitari, asserit. Ex quo, cum Gen. 1. Natatiliium & volatiliium eadem statuatur materia & origo, facile conjecturam facere licet. Uti enim pisces aquam motu pennarum secare solent, & quasi diffindere; Sic aërem volucres pennis velut pernatantibus, dividunt. Radix est  $\eta\psi$ , & juxta Pagnini & Buxtorffii sententiam cum radice  $\psi\psi$  paria facit, motionem in aquis, aut in terra significans. v. ROBERTS. c. l. p. 704. Conf. etiam MERCER. Thes. L. S. p. 1908.

§. 12. Quod  $\psi\psi$  attinet, significatur hac voce abominatio. Pagninus & Buxtorffius reddunt detestatio, execratio. Avenarii  $\beta\delta\epsilon\lambda\upsilon\gamma\mu\alpha$  habet, Lev. 7. 21. Prophetam Daniele significatum hujus vocis respicere, quando de triplici re abominabili loquitur, ex ejus prophetia in propatulo est. Principio loquitur de abominabili, quod datum est ab Antiocho; deinde de eo, quo posito, sequitur depopulatio & devastatio Templi & urbis ultima; & tandem de eo, quod in Ecclesia Christi ponitur; de medio Servatori sermo est Matth. 28. 15. Radix est  $\psi\psi$ , & idem fere est, ac  $\psi\psi$  abominari. Pagninus vertit detestari, execrari, vitare, ut rem immundam, spurcam & sordidam. Græci adhibent vocem  $\beta\delta\epsilon\lambda\upsilon\tau\omicron\mu\alpha$ ; cui rei fides exinde conciliatur, quod  $\psi\psi$  Dan. 11. à Matth. per  $\beta\delta\epsilon\lambda\upsilon\gamma\mu\alpha$ , abominatio, res execranda, exprimitur, quam Deus aversatur, detestatur, & plane damnat. Nonnulli putant, affinitatem habere cum radice  $\psi\psi$  vel  $\psi\psi$ , fastidire, perinde ut  $\psi\psi$  &  $\psi\psi$ , nec non  $\psi\psi$  &  $\psi\psi$ , cognata inter se & affinia, quibusdam dicuntur, in quo eos tamen falli judicat MERC. ib. p. 310. quanquam non negamus, Buxtorffium in sententiam priorem, concedere non dubitare, cujus causam illud Lev. 11. 43. tueri facile potest:  $\beta\delta\epsilon\lambda\upsilon\zeta\alpha\tau\epsilon\ \tau\alpha\varsigma\ \psi\upsilon\chi\alpha\varsigma\ \eta\mu\acute{\omega}\nu$ , ne faciatis animam nostram nauseare in omni reptili, ROBERTS. ib. p. 1276. seq.

§. 13. Lis quoque orta fuit inter Interpretēs de lectione לָאֵל, aliis לָא respicientibus, aliis לָו substituentibus. Notum vero quasdam voces aliter legi, aliter scribi. Huc reducenda venit vocula לָו, quam 15. locis לָא scribi & legi לָו, Masorethæ accurate observant, quorum prius non, alterum ei significat. Sic hic loci in textu scribitur אֲשֶׁר לָא כָרְעִים, quod crura non habet, in margine tamen reperitur אֲשֶׁר לָו כָרְעִים, cui sunt crura. Et posteriori sane lectioni assurgendum esse, tum tota textus series, tum interpretum consensus postulare videntur. Præter omnes enim Hebræos Græci quoque, Hieronymus, Chaldaei duo, Jonathan & Onkelos, Syrus, Arabes quatuor interpretes, & Samaritanus hanc sequuntur lectionem. Accedit, quod in Hebraico Samaritanorum exemplari in ipso textu לָו per Vau, non per Aleph scribatur. Conf. BOCHARI. Hieroz. P. II. L. IV. C. I p. 452. Gemella reperies in POLI Synopsi ad h. l. Aug. VARENI. Dec. Bibl. in Levit. ad h. l. Loc. VII. Conc. 6. p. 71. nec non Tom. I. Critic. SS p. 1704. ubi miror, Hieronymo affirmativam enunciationem hic tribui, quam tamen in negativam contra mentem Legis apertissimam mutasse à Polo censetur.

§. 14. Nunc ad ipsum vocabulum כָרְעִים properandum, quod crura denotat. Sic Buxtorff. in Lex. duo, inquit, crura sunt, quæ curvantur, aut quorum poplites flecti possunt. Avenario pedes seu crura animalium appellantur כָרְעִים, propterea, quod genuum incurvatione se incurvent, citaturque locus noster Levit. II. 21. quod ambulat super quatuor videlicet pedes. Pagninus vertit per digitos pedum, qui supra quatuor locustæ pedes exerescere solent, quæ חֲגֹב vocatur loco citato; his niti eandem dicit ad subsiliendum super terram. Radix est כָרַע, quæ curvare, incurvare significat; intransitive accepta notat curvare, aut incurvare se. Sumitur proprie de genuum incurvatione. Accuratis limitibus se jungitur ab הִשְׁתַּחֲוֶה, quod facie & toto corpore in terram prosterni denotat, soletque cum כָרַע cubuit quadrupedum more Gen. 49.9. conjungi; Quadrupedia enim majora, quando cubare intendunt, in crura se primum demittere, in aprico est. Co-

gnationem pariter cum ץׁׁ humiliatus est, procidendo in genus, habere dicitur, vid. ROBERTS. Thef. L. S. p. 437. seq. Ceterum Pagninum ex Kimchio suam depromisse sententiam ostendit. MERC. Lex. Hebr. p. 1223. Quod vero insectis volucris præter quatuor pedes duo crura saltatoria tribuantur, istud sane accuratori paulo investigatione dignum est, de quo BOCH. Hieroz. Parc. II. L. 4. C. 1. p. 451. Sane præcipua instrumenta, quibus in terris vel aere insecta moventur, pedes juxta & alæ sunt; illis ad gressum; his ad volatum utantur. Cunctis tamen hæc contigisse a benigna natura insectis, non equidem affirmare licet. Proinde Arist. L. 4. Hist. Animal. c. 1. *Insecta*, ait, *dividuntur in alata, & alis carentia*. Destituuntur illis formica, cimex, araneus, scorpion, lumbricus, multaque alia; contra gaudent alis apes, muscæ, culices, locustæ, & similia. Alæ vero non formam pennarum, sed potius *membranarum siccarum* referunt; nam quemadmodum alæ in avibus *πτέρια*, ita in insectis *πίλα* appellantur. Minus igitur proprie Plinius scarabæos pennas habere asserit, cujus tamē vestigia legit Gaza, qui *χρυσάλλιδας* pennigeros papiliones appellat, censura ob id notatus a Cæsare Scaligero Comment. in L. 5. Arist. Hist. Animal. c. 18. Sect. 214. Sunt; quæ *binas* saltem habent alas, insecta, quorū numero muscæ & culices accenseas; causa hæc est quod victu facile obvio fruuntur, neque longe abire teneantur, cibi parandi causa. Aliis *quaternas* benignior largita est natura, quorum referas apes, quibus victus conquirendi ergo longius evolandū. Sic aliis, ut vesperis ac cicadis *dura ac membranacea* alæ sunt, aliis vero, ut papilioni, molles obtigere. Nonnulla *alas apertas* habent, quorum in numero sunt apes, muscæ, culices, cicadæ: quædam præterea *crustis* munita sunt & alis quasi vagina obductis gaudent; Arist. L. 4. Hist. Animal. c. 7. S. Cæsari Scaligero c. 6. Sect. 223. *ἐλυτρον*, vel instrumentum vocantur. Proclo enim & aliis *ἐλύειν* exponitur per *καλύπτειν*. Talibus vero pennarum tutelæ causa crusta insuper accedit iudice Aristotele. Appellantur ejusmodi insecta unica voce *κολέοπτέρα*, seu, ut quidam reddiderunt Vaginipennia. Et ita se res habet cum locustis, quibus


bus, docente Vossio loco infra citando, ob alarum fragilitatem, Deus dedit in quo recondant alas, sic, ut, quando sedent, non videantur sedere. In hunc censum quoque veniunt *μηλολόνηται καὶ κύνταροι*, Aristotele id asserente. Quodlibet igitur insectum & maxime locustas pro diversitate structuræ partium diversos etiam habere pedes, in propatulo est. Hinc Plinius L. II. c. 48. Numerus pedum, inquit, impar nulli est. Nempe id gressum impediret, cujus gratia dati sunt. Ad minimum *senos* habent, uti sunt formica, pediculus, pulex. Nonnulla *οξτο*, quod in scorpio & araneo videas; quædam *duodecim* gradiuntur pedibus, quod in plerisque vermibus observes, teste ubique Plinio; *quatuordecim* pedes sunt crucis, ut & bombycibus; horum duo postremi maximi, medii sex minores, minimi sex primi. Nonnulli prope modum numerum exsuperant, quod in oniscis seu asellis sub hydriis stabulantibus, scolopendris & julis, quos multipedes Plinius appellat, cum asello & scolopendra eosdem confundens, oculorum acie conspici potest. Et sane si Cardano L. VII. de Rer. Variet. Cap. XXVIII. fides habenda est, *sciuolo quadraginta* quatuor pedes esse asserenti, res admiratione digna esset. Quod vero postrema sex magnitudine reliqua vincuntia ab Aristotele *πηδάλια* vocentur, hanc subesse causam existimo, quod, quemadmodum hanc vocem Gaza reddidit: gubernacula, uti navis motus clavo gubernatur, sic motus & saltus insectorum pedibus postremis dirigantur. Quanquam vero hanc derivandi rationem non plane explodendam esse putem, commodiorem tamen forte & simpliciorum habet Cæsar Scaliger Comment. in Arist. L. 4. Hist. Animal. c. 6. Sect. 227. qui *πηδάλια* saltacula valere dicens, *ἀπὸ τῆς πηδᾶν* salire, saltare etymi rationem desumit. Neque huic rei experientia contrariari videtur. Etenim flexu posteriorum, quæ aliis destituuntur, se librare solent ad salientium; uti alis ad volandum utuntur. Utrumque in culicibus & locustis deprehendere licet. Hinc Plin. L. II. c. 48. *quæ insectorum pedes novissimos habent longos, saliant, ut locusta.* Et ita se res habet, videlicet beneficio pedum postremorum se elevat e terra. Conf. Arist. L. 4. de Part. Animal. c. 6. Quo in loco & causam tanti pedum numeri hanc reddit;

dit, quod frigida sint natura, & ob id faciliorem reddi gressum  
 necesse fuerit, quod pedum copia egregie fiat. Cardanus au-  
 tem loco supra citato, quod julis XLIV. pedes sint, imperfecti-  
 onis fere esse iudicium putat, plurimis tamen eos ob debilita-  
 tem eguisse, addens; sique imbecilliora quaedam insecta paucos  
 nihilominus pedes habent, eorum vicem alas supplere existi-  
 mat. Hæc omnia de pedibus terrestrium intelligenda  
 sunt; idem vero in aquaticis insectis observari rerum physi-  
 carum urinatores tradunt. Vid. VOSSII Theol. Gentil.  
 Lib. IV. cap. 75. pag. 1564. seq. Magnam quoque lucem  
 toti huic rei ex Aristotele denuo conciliari posse, certum est, qui  
 inprimis de Locustis sequentem in modum philosophatur: τὰ δ'  
 ὀπίδια (σκέλη) μείζω τῶν μέσων διά τε τὴν βάδισιν, καὶ πρὸς τὸ  
 αἰεθεῖσθαι μάλλον ἀπὸ τῆς γῆς ἀναπετόμενα. ὅσα δὲ πηδητικὰ αὐ-  
 τῶν ἐστὶ, μάλλον τῆτο φερεῖσι. οἷον αἰτ' ἀκρίδες καὶ τὸ τῶν ψυλ-  
 λῶν γένος. ὅταν γὰρ καμψαντ' ἐκλείνη πάλιν, ἀναγκαῖον ἀπὸ  
 τῆς γῆς ἦεσθαι. ἐν ἔμπροσθεν δ' αἰτ' ὀπίθεν μόνον ἔχουσιν αἱ ἀ-  
 κρίδες τὰ πηδαλιώδη. τὴν γὰρ καμπὴν ἀναγκαῖον εἰσὼ κεκλά-  
 σθαι, τῶν δὲ προδίων, κάλων ἔθεν ἐστὶ τοῖστων. ἐξάποδα δὲ  
 τὰ τοιαῦτα πάντα εἰσὶ, σὺν τοῖς ἀλτικαῖς μοσχοῖς, de Part. Ani-  
 mal. L. 4, c. 6. loco paulo antecitato. Latine reddita ita fluunt  
 verba: *posteriora crura mediis longiora sunt, ut ambulent, &  
 attollantur facilius de terra, cum avolare libet. Quod plenius ea  
 ostendunt, que saliant, ut locusta, & pulicum genus. Cum  
 enim inflexa rursus connixa extendunt, attolli insecta de terre  
 necesse est. Locusta non parte priore, sed posteriore habent  
 crura illa ad gubernaculorum effigiem facta. Suffraginem enim  
 intus flecti necesse est, quod nulli crurum priorum datum est.  
 Omnibus his seni pedes, iis etiam, quorum enixa saliant, connume-  
 ratis. Conf. BOCH. ib. p. 452. seq. CLERICI Comment. in Levit.  
 ad h. l. p. 218. nec non Tom. I. Critic. SS. ad h. l. His primæ  
 Dissertationi finem imponentes tribuimus*

SOLI DEO GLORIAMI












8.







8.






8.







ELLUM DOMINI IN AMALEK.

15

precatione plurimum contulerint adjumenti, non  
Itaque Moses haec describens provide monere  
potuit, salutarem eventum hunc non manibus  
illarum erectioni, sed fidei esse adscribendum:  
promissa populo huic, ex quo IMMANUEL  
jusque majoribus facta oculo irretorto intuens  
salutis praesidia a DEO expetat & consequatur.

"*ultra vires hominis esse, ait, per aliquot horas  
s habere sine intervallo, multo minus per totam  
ego divinae fuerit, & elevandis manibus, & ora-  
DEUM per integrum diem suffecisse Mosen,  
tratae: cui & ipsa de Amalekitis victoria debe-  
pareat illud quod exstat Hebr. XI, 34. Veteres  
evasisse in bello, per fidem castra evertisse hostium,  
quod MISCHNICI Tract. Rosch Hascbana cap. 3.*

*an manus Mosis erant causa victoriae nec ne?  
"Scripturam docere, quod toto tempore, quo  
iciebant coelum, ac serviebant sincero corde Patri  
lebant; sin minus, cadebant. Nam & haec sen-  
c extra seriem narrationis historicae ponit, ge-  
rpretatur, quod, nisi voce יהיה in sensu futu-  
pta, fieri vix potest. Iustinus Martyr Dial. cum*

*Mosen vota DEO fecisse expansis ambabus ma-  
imitatum crucis; quod si labaret haec figura  
s, mox vincebatur populus: si in eodem perma-  
malek vincebatur, cruce vires addente victori-  
propter preces Mosis superior evadebat populus,  
I IESUS versabatur in prima acie, & Vates si-  
praesentabat. Sed pollicem hic Iustino premere  
Neque enim expansis sed elevatis manibus Mo-  
atus esse legitur: פָּרַשׁ הַיָּדַיִם non פָּרַשׁ*

Eventus proelii fuit Israelitarum de Amalekitis  
prima fronte possit, minus plenam fuisse victo-  
ses debilitandi verbo vtatur, non internecionis  
aut

4.  
28.5.  
21.  
2.  
2.  
3.  
31.  
36.  
3.